



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

87. An Episcopus possit cogere, ut populus in diebus Dominicis, aut
solemnioribus Festis ad propriam Parochiam conveniat? Et an si Episcopus
ferat excommunicationem in eos, qui non audiunt Sacrum in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

lij. Vel respondeo opinionem affirmatiuam procedere, si Parochia esset vnita monasterio, & etiam si in illo Generalis haberet principalem sedem, vt ex Sacra Congregatione obseruat Lezana in *summa* 10.1. cap. 3. num. 29. & Squillante de *obligat. & priuileg. Episcop. par.* 1. cap. 3. num. 13. Merolla tom. 3. disp. 7. cap. 5. dub. 13. n. 114. Gauntius in *Manual. Episcop. vers. visitatio Episcopis* num. 14. & alij. Quod suppono non adesse in casu nostro, vt mihi asserunt, ergo, &c.

11. Nec obstat Constitutio Gregorij XV. nam ipsi non derogat Concilium Tridentinum, & nouissime Hieronymus Garcias in *politica Regulari tom. 1. tr. 8. diffic. 2. dub. 4. punct. 11. n. Pt.* firmat, diuinam Constitutionem non inducere nouum ius.

12. Nec obstat dicere, supradicta admittenda esse quoad visitationem, & correctionem, non autem quoad examen Patochi in ordine ad excipiendas confessiones; nam nullus potest exercere munus Confessarij, nisi sit approbatus ab Episcopo, vt patet ex Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 15. de reform.* & ex S. Congregatione firmavit Rota in *una Calagurritana Iurisdictionis de Negera* 6. Iunii 1611. *coram Oriemberg.* & eadem *Causa die 22. May 1613. coram Vbaldo*, quas decisiones inuenies apud Tamburinum de *iure Abbatum, decisio* 49. Respondeo cap. 11. Concilij loqui non solum de visitatione, & correctione, sed etiam de examine, vt legentibus patet: ergo, quando postea addit illas limitationes, necessario sequitur appositae fuisse non solum quoad visitationem, & correctionem sed etiam quoad examen, & contrarium asserere, esset vim inferre

Sup. hoc supra in Ref. 84. §. Probat. secundo, & infra in tr. 6. Ref. 138 §. Quod patet in principio, & in tom. 2. tr. 1. Ref. 14. §. Sed non ad medium. Brunor. à Sole in *locis Communibus*, verb. *Consuetudo* 6. Cardol. in *praxi Iudicij, & Advocat. eodem verb. num. 3.* Cald. Pereira in *l. si curatorem*, C. de à principio, in *integ. restit. minor. verbo Contractum*, num. 29. & in tom. 7. Bellet. *disquisit. Cler. part. 1. tit. de Clerico debito*, §. 12. n. 27. Mendoz à Castro in *praxi Lisi. lib. 2. cap. 1. n. 12.* Camill. Borull. in *Summa omnium decis. tit. 14. num. 88.* Cened. *praxi. & Canon. quest. lib. 1. prope finem. quest. 3. num. 11.* & nouissime docet Pater Gobat in *Thes. Indulgent. part. 2. cap. 5. §. 10. n. 304.* Sed, vt mihi asserunt, nunquam Illustrissimus Episcopus examinavit Parochum dictae Ecclesiae Oppidi Hospitalet- ti: ergo, &c. Et ita ego sentio, saluo aliorum meliori iudicio.

13. Nota, quod post hæc scripta sapientissimus, & amicissimus Pater Lezana edidit suas eruditas Consultationes Morales, & in *Consul. 45. n. 148. & seqq.* late omnia à nobis superius dicta confirmat in terminis terminantibus.

RESOL. LXXXVII.

An Episcopus possit cogere, ut populus in diebus Dominicis, & Festiuis ad propriam Parochiam conueniat?

Et an si Episcopus seruat excommunicationem in eos, qui non audiunt Sacrum in Parochia diebus Festiuis, & Dominicis, excommunicatio sit nulla?

Et deducitur, quod stante consuetudine, & priuilegio, non tenentur fideles audire Missam, & concionem

diebus Dominicis, & Festiuis in Templis Parochialibus. Ex p. 10. tr. 13. & Misc. 3. Ref. 25.

§. 1. **A**ffirmatiue sententia adheret Iacobus Marchantius, in *Resolutione Pastor. de Sacrament. Ecclesiae*, c. 7. §. 6. vbi sic asserit: respondeatur communiter Regulares, vt priuilegiolorum suorum fimbrias magnificent, & dilatent phylacteria sua, Episcopus id non posse. Rationem asserunt, quia Episcopus non possit restringere ius commune, quod habetur ex vniuersali consuetudine. Ita Filliacius, & alij. Item quia Concilium Tridentinum solum dicit, vt Episcopus moneat populum diebus Dominicis, aut Festis solemnioribus ad propriam Parochiam conuenire. Sed in contrarium est praxis quorundam Episcoporum, tum in antiquo iure, tum in iure etiam nouo Concilij Tridentini fundata, nec non in ratione, Tridentinum enim *sessio* 22. in Decreto de obseruandis in celebratione Missæ cum multa insinuasset, ac hoc etiam quod iam dictum est, scilicet monendum esse populum, vt frequenter ad Parochias conueniat, immediate subiungit: Hæc igitur omnia, quæ summam enumerata sunt, omnibus locorum ordinarijs ita proponuntur, vt non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi à sacrosancta Synodo potestate, ac etiam vt delegati Sedis Apostolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, statuunt: atque ad ea inuoluate seruanda centuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant; non obstantibus priuilegijs, ac consuetudinibus quibuscumque. Ergo vbi populus ad hanc monitionem de frequentanda Parochia negligens cerneretur, opportunis remedijs potest Episcopus prouidere, etiam sub pœnis præcipiendo. Adde quod idem Concilium *sessio* 24. declarat, teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei: imo Dominicis, & Festiuis diebus præcipit pueros in Parochiis erudiri, in rudimentis Fidei, & obedientia erga Deum, & parentes. Cum autem verbum Dei, aut etiam instructio rudium, tempore Parochialis Missæ, perisque in locis ruralibus hæc; ad eam Parochian, compelli possunt ab Episcopis. Hinc in Dicecisi nostra Leodiensi tale extat Decretum: Parochianos omnes moneamus, & eis mandamus, vt in suis Parochialibus Ecclesijs diligenter sint, ad verbum Dei, aliaque Diuina audienda; alioquin si eos ad tres continuas septimanas diebus Dominicis, & Festiuis absesse absque legitima causa, vel sui Pastoris licentia, contigerit; volumus contra eos ad pœnas canonicas, & statutarias antiquas huius Dicecesis, aliaque arbitrarias procedi. Ita habetur in Synodo, *titulo decimo, capite quarto.* Simile Decretum habetur in Synodo Namurcensi, *titulo 4. capite 14.* Quis vero hæc audeat condemnare, & Patres Synodij, inter quos multi docti Theologi: Videri potest hæc de re libellus intitulatus, *Parochianos obediens*, editus Duac à quodam Patre Capucino 1633. Vbi fusè probat teneri Parochianos audire Missam, & verbum Dei in sua Parochia, saltem diebus Dominicis & Festiuis Maioribus, cessante legitimo impedimento. Hucusque Marchantius vbi *supra*, & cum ipso plures in Gallia & in Belgio.

2. Sed protus contrariam sententiam tenendam esse puto stante consuetudine, & priuilegijs obtentis à Regularibus, vt late probat Stephanus Baunius in *Theologia moralis*, tomo 1. tractatu 8. de præcepto audiendi Missam, questione 5. per totam, cui adde Leandrum de *Præcepto Ecclesie*, tractatu 2. dissertatione 1. questione 21. Dicastillum de *Sacramentis*, tom. 1. tract. 5. disp. 5. dub. 4. num. 59. & Ioannem Præpositum in tom. 1.

scimus in 3. part. D. Thoma, quæst. 83. art. 6. dub. 4. non est. Et alios penes ipsos; quorum aliqui censent non esse præceptum iure, ut Sacrum in Parochia audiatur, alij vero censent saltem contraria consuetudine illud præceptum abrogatum, & perinde satisferi præcepto de Sacro audiendo; quocunque loco audiatur; verbi gratia in priuato Oratorio, in Sacello extra Parochialem Ecclesiam sito, &c. Ex quo patet longo potiori iure huic præcepto eos satisfacere, qui Sacro interfunt apud Mendicantes, ut patet ex Bulla Leonis X. quam refert Nauarrus, capite 21. numero 5. vbi dicitur eos satisfacere præcepto Ecclesiarum, qui Sacrum in Ecclesiis Mendicantium audiunt diebus Dominicis, &c. & ex alia Bulla Pij V. quam refert idem Nauarrus supra; & denique ex Bulla Clementis VIII. data 22. Decembris anno 1592. quæ incipit: Venerabilis frater. vbi dicitur: Sancimus licere secularibus Christi fidelibus vniuersis libere Missas diebus Dominicis, & aliis Maioribus audire in Ecclesiis tam Fratrum Prædicatorum, quam aliorum Mendicantium, nec non etiam Collegij Societatis Iesv iuxta illorum priuilegia, & antiquas consuetudines. Ea vero priuilegia Mendicantibus sunt concessa per Leonem X. & Pium V. & nominatim Societati per Paulum III. in Bulla, quæ incipit: Paulus Episcopus, ex quo patet aliquos Pastores minus prudenter contrarium suis Parochianis inculcare, eorumque conscientias illaqueare.

3. Dicit fortasse aliquis id concessum, salua remanente obligatione sacri Parochialis. Respondetur, id dici non posse, quia si priuilegium ita intelligeretur nihil plane operaretur; nemo enim ignorat licere vnicuique etiam sine speciali priuilegio Sacrum audire quodvis loco vbi celebrari potest, manente obligatione sacri Parochialis. Dices Pontifices nolle abrogare laudabiles consuetudines; ergo non sunt censendi dare priuilegium audiendi alibi Missam, quam in Parochia, ut præcepto satisfaciat. Respondetur, si esset lex expressa Pontificia, Summus Pontifex eam posset abrogare, & censeret posse illi derogare per huiusmodi priuilegia; ergo idem dicendum de consuetudine, si ubi vigneret, quod scilicet, quoad vim præcepti illi derogauerit; quia in Bullis Leonis, & Pij V. expresse dicitur, quod satisfaciatur præcepto audiendi Missam. Dices, Pontifex habet potestatem in edificationem, non verò in destructionem. Respondetur, id præsentis negotio impudenter applicari, & si quid concludat argumentum, non tam concludere Pontificem non derogare virtuti obligandi ipsius consuetudinis, quam non potuisse derogare, quod cum iniuria fecerit, & potestatis Pontificia videtur dictum. Adde, quod cum per Sacrum Parochiale intelligant, solemnè illud, quod celebrari solet in singulis Parochiis, si verum esset illud dictum, non deberet permitti Fidelibus, ut aliud priuatum etiam intra Ecclesiam Parochialem audirent, cum tamen vbiq; in Templis Parochialibus paulo celebrioribus varia Sacra fiunt, ad quæ fideles convenientes non existimant se vltius obligari ad Sacrum solemnè audiendum. Et hæc omnia docet Præpositus vbi supra; qui etiam postea num. 209. probat secundum rigorem huius Concionem. Sed quidquid sit de hoc, ex superioribus dictis statum est, & patet Episcopos non posse statuere, ut Fideles diebus Festis saltem aliquibus Sacrum in Parochia audiant; atque adeo, si ferant Excommunicationem in eos, qui non audiunt Sacrum in Parochia, eam esse nullam, tanto quia non possunt quidquam statuere contra priuilegia à Pontificibus concessa, tum quia non

possunt etiam vniuersales consuetudines abrogare. Et ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium. Et ideo Trullench tractat. de iure Parochi, cap. 6. numero 13. quod si tota, aut maxima pars Parochianorum Parochiam desereret, posset Episcopum simpliciter mandato præcipere, ut Parochiani ad suas Parochias accederent audiendi Missam causa, non tamen id pœnis impositis præcipere, aut constitutionem sub excommunicatione ferre, quo in casu Missam audientes (secluso Parochi contemptu) eam non incurterent, optimè existimat.

4. Nec supradictis obstat Sixti V. auctoritas in Extrava. quæ incipit, Vices illius de Treuga, & Patrum qui Trident. Concil. interfuerunt: quibus placuit sess. 22. in decreto de Obseruandis in celebratione Missæ, hortari Parochos, ut moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, accedat, & maxime diebus Dominicis, & Festis. Ad Primum respondetur Xistum, tantum illa Extrava. vetare, ne Parochiani Missam audiant in Monasterio contempto Parocho. Ita Azorius, tom. 1. lib. 7. cap. 5. quæst. 4. Portelius in Addit. ad dub. regul. verb. Missa, & in Respons. casu 29. part. 3. Ad secundum respondetur præceptum de Missa audienda in Parochia illis verbis non dari, sed consilium ut indicat hæc vox Moneant. Vide Eligium Bassæum verb. Missa 8. num. 9. qui licet asserat opinionem Theophili esse probabilem, nostram quam ipse sequitur docet apud omnes Fideles esse in vtu; & quam præter Doctores citatos, Castrus Palauis sequitur tom. 4. tract. 22. disp. vnica, punct. vlt. num. 22.

5. Et tandem claudam hanc resolutionem cum verbis docti & amicissimi Patris Raphaëlis Auersæ, de Sacram. Euchar. q. 11. sect. 19. vbi sic ait: Comuni sententia, & praxi exploratum est, præceptum audiendi Missam non restringi ad Parochiam singulorum, sed bene posse adimpleri in quacunque alia Ecclesia; quia nec iure aliud statutum, nec consuetudine introductum est. Et refertur declaratio S. Congregationis, quod nec Ordinarius possit cogere populum ad audiendam Missam, aut Concionem in propria Parochia. Concilium verò in priori loco tantum ait: Moneat Episcopus populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis, ac maioribus Festis accedant, quo loquendi modo supponit potius id non cadere sub obligationem. In altero loco ait: Moneat Episcopus populum diligenter, teneat vnumquemque Parochia suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei: vbi planè sermo non est de audienda Missa, sed Concione. Attamen nec simpliciter sub obligatione receptum est, audire vel in Parochia, vel in alia Ecclesia Concionem. Ita ille, & ego. Consulto tamen Regularibus, ut cum Reuerendis Parochis bene se gerant, & suos Pœnitentes à frequentatione Ecclesiarum Parochialium minimè dissuadeant.

RESOL. LXXXVIII.

An Episcopus possit transferre Festum alicuius Sancti?
Et in textu huius Resolutionis alij casus adducuntur pro praxi huius difficultatis.
Et insertur, quod inferior nullam habet potestatem circa id, quod Superior determinauit.
Et an, quando Vigilia S. Matthæ occurrit in Feriam tertiam post Dominicam Quinguesima, possit Episcopus eam transferre in Sabbatum præcedens.
Ex part. 10. tr. 16. & Missæ. 6. Ref. 7.

G g 3 §. 1. Affirma